



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. De conseruatione habitus fidei; vbi, an, & quomodo maneat fides
informis in peccatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

vidimus, deberet semper afferre secum potentiam volitivam eiusdem ordinis, hoc est habitus voluntatis, quos cum de facto fides non habeat secum in peccatore adhuc fatendum esset id fieri contra exigentiam, & naturam habituum.

30
Obiectio 3.

Arguunt tertio, quia gratia habitualis prærequirit aliquam dispositionem in subiecto; ergo gratia non est prima radix in ordine ad omnes operationes supernaturales. Respondeo retorquendo argumentum, si gratia exigit aliquam dispositionem præuiam, & ideo datur prius habitus fidei, ut illam operationem eliciat; ergo cum non solum actus fidei sit dispositio ad gratiam, sed etiam actus attritionis, & aliarum virtutum, debent etiam alij habitus infundi ante gratiam propter eandem rationem. Dicimus ergo, gratiam ex natura sua non exigere aliquam dispositionem in subiecto: Deus tamen rationabiliter eam exigit in adultis inuertendo aliquantulum ordinem connaturalem actuum & habituum, ut creatura rationalis voluntarie suscipiat dona ipsius Dei.

31
Obiectio 4.

Arguunt quarto, si fides & spes ex natura sua dependent à gratia, cur magis manent hi habitus in peccatore, quam habitus aliarum virtutum? Respondeo, hoc argumentum virgere etiam contra ipsos: quia si fides, & spes ex natura sua non pendunt à gratia, cur alij habitus virtutum moralium, maxime penitentiae, & aliarum, quæ possunt deferuire ad conuersionem peccatoris non sunt dati tales, ut non penderent ex natura sua à gratia, sed posset manere sine illa; omnes ergo debemus reddere eandem rationem differentiae; quam quidem infra hac eadem disputatione reddemus.

32

Ex dictis autem inferri videtur, non solum de facto fidem habituale non esse ex natura sua separabilem, aut independentem ab habitu gratiæ sed nec etiam posse dari talem habitum merum fidei infusum: quia eo ipso, ut vidimus, exigeret habitus infusus voluntatis, cum omnis potentia cognoscitiua eo ipso exigit potentiam appetitivam eiusdem ordinis. Tunc autem ille habitus fidei exigeret habitus infusus voluntatis tanquam prima radix eorum, cum ex natura sua non supponeret gratiam habitualem, nec aliam primam radicem sui, vel eorum habituum: haberet ergo se in ordine ad eos habitus, sicut non se habet gratia habitualis, & per consequens non maneret tam intra terminos meri habitus fidei, sed esset alia qualitas nobilior per modum primæ radices in ordine supernaturali, & constituens hominem in statu supernaturali per modum essentiae, quæ esset longè maior perfectio, quam ea, quam de facto habet habitus merus fidei infusus.

33
Duo aduertenda sunt. Primum est, in sententia contrariæ, quæ etiam probabilis est, non debere concedi, prout aliqui videntur concedere, quod habitus fidei sit dispositio ex natura rei præquisita ad infusionem gratiæ habitualis, ita ut ex natura rei consequatur gratia, sicut forma ignis consequitur dispositiones in materia præcedentes. Hoc, inquam, dici non debet, quia infusio gratiæ habitualis debet esse gratuita, quod non esset in eo casu: nam habitus fidei non disponit hominem ad gratiam iustificationis, nisi mediis actibus spei, & dilectionis Dei, ad quos mouet, & dirigit fides: ij autem actus, licet disponant de congruo ad impetrandam gratiam iustificationis, non tamen de condigno, nec eam exigunt, nisi mediante misericordia Dei, qui gratis

omnino, & ad nullius dispositionis præcedentis exigentiam eam confert: non potest ergo fides esse dispositio ex natura rei ad gratiam, sicut dispositiones naturales exigunt formam ignis, sed solum ex diuina ordinatione de facto debent præcedere actus fidei, & dilectionis ad remissionem peccatorum.

Secundum aduertendum est in eadem sententia, quando dicitur actum fidei esse dispositionem ultimam, quæ posita, statim infunditur habitus, non debere id intelligi de actu fidei, prout est assensus intellectualis, sed de voluntate pie affectionis imperante assensum fidei: cum enim tota moralitas, & honestas, ac valor per modum meriti congrui, qui est in actu fidei, deriuatur à voluntate pie affectionis, quæ sola est libera, & honesta libertate, & honestate formali; non est necesse ad infusionem habitus expectare ipsum assensum intellectualem, qui est quasi actus extrinsecus, & in se ipso necessarius ortus ex illa voluntate, sed posita pia affectione, & imperio efficaci ex parte voluntatis, statim pro posteriori nature infunditur habitus fidei, à quo rursus pro signo posteriori elicietur assensus fidei intellectualis; itaque licet per affectionem ad fidem, quando adultus incipit credere, non fiat ab habitu infusus, sed ab auxilio actuali, quia ipsamet affectio disponit ad infusionem habitus, & non potest fieri ab habitu, ad quem ipsa disponit, ut infundatur assensus tamen fidei intellectualis etiam primus fieri potest ab habitu, qui ante hunc assensum præcedit dispositio sufficiens ex parte voluntatis ad infusionem habitus. Quod in illa sententia obferuarunt, & ita magis consequenter eam intellexerunt P. Turrianus hic disp. 38. dub. 3. & P. Hurtado disp. 57. §. 9.

SECTIO III.

De conseruatione habitus fidei; ubi, an, & quomodo maneat fides infusus in peccatore.

Non est sermo de peccatore hæretico, vel infideli, de quo dicimus infra disp. 17. sess. 4. agentes de subiectis fidei, & nunc supponimus, quod si peccatoris perdit habitum fidei, sed loquimur de peccatore fideli, qui peccat mortaliter contra aliquas alias virtutes, quem diximus in eo statu non perdit habitum fidei infusum, & comparare de nouo habitum fidei infusum, & nec simul cum habitu gratiæ, & charitatis eum accipiat; de hoc ergo quarimus, an possit perditam gratiam, & charitatem retinere habitum fidei infusum in statu peccati.

Contrauerfia hæc præcipue est cum hæreticis modernis, qui contendunt fidem non posse esse sine charitate, & sanctitate; quorum errorem expresse damnavit Tridentinum sess. 6. cap. 15. his verbis: *Afferendum est, non modo infidelitatem, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: diuina legis doctrinam deferendo: quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quosque, fornicarios, adulteros, molles, maleficos, concubitos, fures, auaros, ebrios, maleficos, rapaces, ceterosque omnes: qui lethalia committunt peccata.* & can. 28. si quis (inquit) dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper

per amiri; aut fidem qua remaneret, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet non esse christianum; anathema sit. Quam veritatem ex sacris litteris potuerunt Patres colligere, in quibus sæpè fides vera sine charitate esse ostenditur. Ioan. 12. *Multi ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei* 1. Cor. 13. *si habuerim omnem fidem, charitatem autem non habuero, &c.* Iacobi 2. *Quid proderit fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat; & inferius, fides sine operibus mortua est in semetipsa. & inferius: Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus.* Vbi nota, non dixisse: sicut homo sine spiritu mortuum est. sed sicut corpus sine spiritu. Nam homo sine anima non est verus homo: corpus autem sine anima, licet sit mortuum, est tamen verum corpus, sed mortuum: ita fides sine charitate, & operibus est mortua, sed vera fides. Testimonia Patrum pro hoc dogmate congerit multa Valentia hic q. 4. puncto 4. apud quem videri possunt: est enim res spectans omnino ad Controuerfistas; & ideo videri etiam potest ultra alios Card. Bellarminus lib. 1. de iustificatione cap. 15. & Suarez lib. 11. de gratia cap. 5. qui argumenta etiam hetericorum referunt, & dissolunt.

36 Ratione probant hoc ipsum aliqui à priori; & in primis de actu fidei constat clare non esse repugnantiam ex obiecto: quia actus fidei præcedit actum charitatis, & ita præcedit, ut proposito obiecto, maneat voluntas libera ad amandum Deum: non enim est cognitio fidei, sicut visio clara Dei, quæ rapit voluntatem beati, & necessariò impellit ad amorem; sed est cognitio obscura propo- nens indifferenter obiectum, ut testatur experientia in iis, qui ex malitia peccant, & contemnunt præcepta Dei, quæ per fidem credunt observari debere: potest ergo manere cognitio illa fidei cum peccato contra legem Dei, sicut prius sine posteriori, cum quo non habet necessariam connexionem: sicut possum ego contemnere præcepta Petri, cuius voluntatem, & præceptum suffi- cienter cognosco.

37 De habitu autem fidei, quod possit sine charitate actuali, vel habituali manere, probant, quia sæpè, quando aliquis peccat grauius circa castitatem, v. g. habet simul assensum fidei circa aliquem articulum, & posito peccato adhuc perseverat in eodem assensu fidei; ergo permanet idem habitus fidei: nam assensus ille fidei conferatur ab eodem principio, à quo fuerat productus. Ita arguit Hurtado disp. 3. §. 3. o. Sed est ratio vndique infirma. Primò, quia eodem argumento probari posset remanere habitus infusus virtutum moralium, nam potest etiam ille homo, dum habet actum circa materiam iustitiæ, peccare contra castitatem, & perseverare adhuc in actu circa iustitiam; ergo debet manere habitus iustitiæ, ut actus ille conferatur ab eodem principio, à quo genitus fuit. Secundò, quia gratis supponitur, debere conferuari actum ab eodem principio, à quo genitus fuit: nam vel supponitur assensus fidei pendere à suis causis per actionem distinctam, vel per se ipsum immediatè. Si dicatur primum, potest variata actione manere idem actus; si verò dicatur secundum, variabitur etiam actus, quod nullum est inconueniens, cum succedat aliis omnino similis circa idem omnino obiectum.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuine.

Præsertim, si quod multi iam amplectuntur, ij actus sint actiones successivæ identificatæ cum duratione sua successiva, atque adeo etiam independentes à variatione causæ debeant successivè variari intrinsecè, prout alibi ego etiam ut probabilius amplexus sum.

38 Præcipua ergo ratio, quod attinet ad habitum, sumenda est ex auctoritate: nam loquendo de possibili, potuit proculdubio habitus fidei quolibet peccato mortali iustissimè amitti, sicut aufertur habitus infusus aliarum virtutum: noluit tamen de facto Deus habitum fidei auferre. Quod ex ipso modo loquendi scripturæ colligi potuit. Nam de habitibus permanentibus loqui videtur Paulus 1. Cor. 13. cum dicit: *nunc autem manent. Fides, spes, charitas; tria hæc*: quod significare videtur verbum illud *manent*, nam actus non manent, sed transeunt: & tamen de eadem fide præmiserat Paulus ibi: *si habuero omnem fidem, charitatem, autem non habuero, &c.* vbi separabilitatem fidei à charitate significavit. Ad idem ponderari possunt verba illa, quibus apud Iacobum cap. 2. fides sine operibus dicitur mortua, & otiosa: nam verba illa de habitu fidei intellexisse videtur Tridentinum sess. 6. cap. 7. cum enim præmisisset: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitatem*: quod de habitibus intelligendum probauimus supra, nam fidei actus non infunditur in iustificatione, sed debet præcedere, ut dispositio; & statim de eadem fide subiungit: *hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt*: quod etiam de habitu debet intelligi, nam fidem actua- lem non petunt, sed afferunt iam, quando petunt baptismum. De eadem autem fide interseruit, de ea verissimè dici *fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse*: quare hæc Iacobi verba de eadem fide habituali intellexit, quam postea dixit ante baptismum à Catechumenis postulari, & quam prius dixerat infundi simul eum gratia, & charitate in ipsa iustificatione: quæ omnia de habitu fidei debent verificari.

Vnde aliqui in æquali certitudinis gradu ponunt, quod habitus fidei manere possit in peccatore, & quod possit fidei actus permanere: ita docet Suarez in præfenti disp. 7. sect. 3. num. 3. & videtur Hurtado disp. 3. §. 12. & 25. Alij tamen meritò negant æqualem gradum certitudinis quoad habitum. Ita P. Valquez in 1. 2. disp. 91. cap. 4. n. 10. Bañes in præfenti art. 4. concl. 2. & Granado in præfenti tract. 13. disp. 5. num. 5. qui duo dicunt, non esse hæreticum, sed solum errori proximum id negare de habitu fidei: quæ censura ad summum sufficiens videtur, cum Tridentinum non explicuerit nomen *habitus*, licet ex contextu, & modo loquendi, ut vidimus, satis colligitur de habitu etiam loquutum fuisse.

40 Hoc ergo supposito, due possunt esse difficultates circa hanc communem doctrinam. Prima ad quid relinquatur in peccatore habitus fidei abeuntibus cum charitate aliis virtutibus. Respondetur communiter manere fidem, ut peccator possit iterum redire ad cor, & conuertere iuxta illud Isaïæ 1. *nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissetis, & quasi Gomorra similes essemus.* Ideo relinquatur habitus fidei, ut cōnaturalius eliciatur actus, ut diximus supra. Sed contra, quia etiam ablato habitu fidei, possit

Ad quid re-
linquatur in
peccatore ha-
bitus fidei, ab-
euntibus cum
charitate alijs
virtutibus.

posset peccator credere per auxilium actuale. Respondetur, posse quidem; sed tamen illos actus fidei fore minus connaturales iuxta ea, quæ diximus in superioribus, ut ergo connaturalius fiant, relinquatur habitus.

Dices, ergo etiam deberent relinqui habitus infusi aliarum virtutum moralium, ut in eo statu possit homo per earum actus disponere se ad gratiam iustificationis. Respondetur, ego sanè existimo peccatorem in eo statu non solum elicere actus fidei, sed etiam aliarum virtutum: ut constat in actu attritionis supernaturalis, quo disponitur ad Sacramentum: nego tamen, illos actus elici ab habitibus infusis, tum quia Theologi communiter docent, virtutes omnes infusas præter fidem, & spem, habere connexionem perpetuam cum habitu charitatis: tum etiam quia in peccatore solum voluit Deus relinquere habitus ad eos actus, qui per se requiruntur ad conversionem, quales sunt actus fidei, & spei, non verò actus temperantiæ, vel iustitiæ, &c.

42. Urgebis adhuc: sicut fides, & spes requiruntur ad conversionem, sic actus poenitentiæ, ergo ob eandem rationem manebit habitus poenitentiæ. Respondetur, actum poenitentiæ necessarium ad conversionem posse elici ex diuersis motibus diuersarum virtutum: nam si sit ex motu dilectionis Dei pertinet ad charitatem, si verò sit attritio, quæ sufficit cum Sacramento, fieri potest ex cultu Dei, & pertinebit ad religionem, vel ex metu gehennæ, aut desiderio gloriæ, & pertinebit vel ad habitum spei, vel ad alium de quo dicemus in tractatu de virtute spei, quia ergo nullus horum actuum in particulari exigitur; ideo non relinquatur aliquis habitus in particulari ad detestandum peccatum. Manet tamen habitus fidei, & spei, quia actus fidei determinatè requiruntur, ut diximus *diff. 12. sect. 1.* ubi etiam *sect. 5.* vidimus, nunquam aut ferè nunquam conuerti peccatorem sine spe veniæ & salutis, ex qua moueatur paulatim ad detestandum peccatum; qui actus pertinent ad habitum spei, & ideo hic etiam habitus relinquatur in peccatore, utpote cuius actus per se requiruntur ad conversionem.

43. Sed contra, quia etiam actus dilectionis per se requiruntur ad conversionem extra Sacramentum, & in lege veteri erat medium omnibus necessarium ad iustificationem, ergo ratione etiam huius necessitatis deberet manere habitus charitatis in peccatore. Dices; si haberet charitatem, iam eo ipso non esset peccator; sed iustus. Contra, quia suppono, charitatem distinguere realiter ab habitu gratiæ; & non iustificari hominem formaliter per charitatem, sed per habitus gratiæ, ut diximus in tractatu de gratia, ergo posset habere charitatem habitualem, sicut fidem, & spem, & esse in peccato. Nec satisfacit dicere, charitatem esse amicitiam diuinam; ideoque non posse stare sine amore mutuo ex utraque parte; nam contra hoc etiam est, charitatem creatam non esse illud, quo diligimur à Deo, sed quo diligimus Deum; quare sicut meus amor in Petrum potest manere habitualiter absque amore Petri in me; cur non poterit manere in me principium habituale diligendi Deum, sine eo quod diligar à Deo? Aliter ergo videtur respondendum, habitum charitatis tolli è peccatore, quia quodeunque peccatum lethale eo ipso opponitur charitati; quare sicut per peccatum infidelitatis destruitur fides demeritorie, propter oppositionem peculiarem, quam

habet cum fide, cuius maneret habitus otiosus in eo statu, ut dixi *supra diff. 14. sect. 1.* & sicut habitus spei deperditur desperatione propter eius oppositionem: sic etiam habitus charitatis deperditur peccato mortali, quia omnia peccata mortalia opponuntur eodem modo cum charitate, & eius obiecto, & sicut post peccatum infidelitatis solum habet peccator auxilium actuale, quo possit iterum credere, & conuerti; sic post quodlibet peccatum lethale solum habet peccator auxilium actuale, quo possit diligere & conuerti. Dices, etiam opponitur omne peccatum lethale cum habitu spei, & tamen ille habitus manet in peccatore, ergo & habitus charitatis deberet manere. Maior probatur, quia habitus spei elicit voluntatem absolutam, & efficaciam beatitudinis, cui opponitur quodlibet peccatum lethale non minus, quàm dilectioni Dei super omnia. Respondetur, in primis dato, quod illa voluntas efficax beatitudinis eliciatur ab habitu spei; non tamen esse illum præcipuum actum illius habitus, sed alium, quo speramus beatitudinem à quo actu habitus accipit nomen spei; & cui actui non opponitur peccatum nisi sit desperationis. Deinde illud etiam desiderium efficax beatitudinis manere potest cum peccato mortali quia carentia peccati pro nunc non est medium necessarium ad beatitudinem; sufficit enim carentia peccati in fine vitæ, quæ carentia debet eligi ex illo desiderio. At verò dilectio Dei super omnia, quæ est præcipuus actus charitatis, non potest manere cum aliquo peccato mortali, ideo dicimus omnia mortalia opponi cum charitate. Qualis verò sit ista oppositio peccati mortalis cum actu dilectionis Dei; & an reperitur in omnibus peccatis; pertinet ad materiam de charitate, & de peccatis. Nunc suppono ex communi sententia, non posse aliquem simul diligere Deum super omnia, & peccare mortaliter; quod sufficit ad nostram conclusionem, & eius rationem.

Hinc infero, non solum manere in peccatore habitum intellectualem fidei, sed etiam habitum pietatis affectionis pertinentis ad voluntatem: quia sicut requiritur actus fidei intellectualis ad conversionem, ita requiritur voluntas supernaturalis credendi, ut vidimus *diff. 10.* ergo sicut manet habitus fidei intellectualis; ita etiam debet remanere ob eandem rationem habitus voluntatis.

Dices: sicut requiritur actus pietatis affectionis ad credendum, sic etiam iudicium euidentis credibilitatis, quod esse supernaturale entitatis diximus *diff. 11. sect. 1.* ergo ob eandem rationem manebit in peccatore habitus prudentiæ infusus à quo eliciatur illud iudicium. Respondetur, mihi sitis probabile esse, manere etiam in peccatore aliquem habitum supernaturalem ad illud iudicium eliciendum, ut diximus *supra diff. 11. sect. 1.* Et hoc tamen non sequitur manere in peccatore ad eorum habitum prudentiæ infusæ, ut dixi *ibi sect. 1. in fine.* Urgebis adhuc, ergo etiam in eo, qui perdidit fidem per peccatum heretis, manebit iste habitus infusus prudentiæ, quia hic etiam pro eo statu elicit sæpè iudicium euidentis credibilitatis, sicut alij peccatores eliciunt actum fidei, ergo sicut alij peccatores retinent habitum fidei, ut actus fidei, quos in eo statu eliciunt, & qui per se requiruntur ad conversionem connaturalius fiant; sic etiam ille hereticus retinebit habitum prudentiæ, ut in eo statu actus prudentiæ, quos elicit, & qui per se requiruntur ad eius conversionem, connatu-

connaturalius fiant. Imo idem videtur dicendum de habitu pie affectionis, nam etiam in eo signu heresis sunt aliqui actus voluntatis supernaturales circa fidem, non efficaces, sed per modum simplicis amoris, & affectionis ad credendum, qui ex se petunt connaturaliter fieri ad habitum, & per se ordinantur ad conversionem heretici, ergo ad illos connaturalius eliciendos debent etiam retinere habitum pie affectionis. Respondeo, communiter negari manere in heretico aliquem habitum infusum. Ratio autem ea reddi potest, quod sicut noliit Deus dare huiusmodi habitus sine merito, & dispositione ipsius hominis, licet præexigerentur etiam ut homo connaturalius eliceret primum actum supernaturalem, ita noliit eos conferre, quando ex parte hominis ponitur demeritum, licet alioquin actus fiant postea minus connaturaliter. Hoc autem demeritum non attenditur equaliter ad auferendos omnes habitus; nam ceteri tolluntur per quodlibet peccatum mortale: spes per desperationem, fides, prudentia, & pia affectio per infidelitatem, quia licet infidelitas, & desperatio non sint grauiora peccata, quam odium Dei, habent tamen maiorem proportionem cum hoc genere peccati.

45
An & quomodo
habitus charitatis
sit forma
fidei
Respondetur
vix sententia
44.
Sicut in
manente
caritate
in habitu
fidei
44.
Sicut in
manente
caritate
in habitu
fidei

Restat nunc secunda difficultas de fide formata, an & quomodo charitas sit forma fidei. Fides enim mortua, quæ manet in peccatore, dicitur *informis*: quæ autem est in homine iusto, & viva, dicitur *formata*, circa quam diuisionem oritur dubium, quomodo charitas informet fidem. Richardus in 3. disp. 23. art. 5. docuit charitatem non solum moraliter, sed etiam physice esse formam fidei. Primo, quia principium, quod adiuuat aliud principium in ordine ad suum actum, illud perficit, ut habitus de facto perficit, & informat potentiam. Secundo, quia voluntas est in anima mediante intellectu; ergo charitas est in anima mediante fide, & per consequens informat fidem. Alij, quorum suppressio nomine meminit Turrianus in presenti disp. 39. dub. 1. dicunt, à charitate aliquem modum physicum derivari in habitus aliarum virtutum, ratione cuius dicitur physice perficere illas, quod idem dicunt de habitu fidei, qui per hunc modum intrinsecum à charitate derivatum perficitur, & informatur.

46
Sententia
communis, &
vera.

Communis Theologorum, & vera sententia negat, fidem physice informati à charitate, quos sequuntur, & referunt Turrianus loco citato Coninch. disp. 16. dub. 4. n. 36. Hurtado disp. 5. 1. & alij communiter. Et quidem, ut contraria sententia apparentem probabilitatem haberet affirmare id potius deberet de actibus, quam de habitibus: nam habitus charitatis immediate non concurrat cum habitu fidei ad actum fidei, sed ad summum mediatè imperando actum fidei, quare actus ipse charitatis, seu imperium esset principium concurrens cum habitu fidei ad eius actum, atque ideo actus charitatis, & non habitus deberet informare, & perficere habitum fidei, vel aliquid in eum influere, ut eum adiuuaret: quod tamen nemo admittit. Deinde, si hic influxus, vel concursus attendendus esset; potiori iure dicendum fuisset charitatem informati à fide quam fidem à charitate: nam vniuersalis, & certior est concursus fidei ad actus charitatis, quam è contrà: cognitio enim necessaria est semper, & concurret ad actum amoris, vel saltem dirigendo, & proponendo obiectum bonum, vel etiam physice coëssi-

ciendo simul cum voluntate ipsum amorem; cum tamen è contrà non prærequiratur semper actus voluntatis ad cognitionem.

Vnde in vniuersum & absolute impugnari potest informatio illa physica: quia falsum est, habitum charitatis immediate concurrere cum habitu fidei, ad eius assensum, cum hic prior sit omni actu charitatis non est ergo necessaria talis informatio charitatis ad hunc effectum, nec aliquis modus fidei intrinsecus à charitate derivatus proper eandem rationem, cum actus fidei fiat, antequam charitas quicquam operetur. Nec explicari poterit qualis sit, vel ad quid deferuiat ille modus fidei additus non enim deferuiat substantiam actus fidei producendam, cum hæc in peccatore producatur sine charitate. Nec etiam ad aliquem modum producendum, qui sit in actu fidei, neque enim explicari poterit in ipso actu fidei, qualis sit iste modus: neque enim est valor, aut ratio meriti, cum etiam sine isto modo actus fidei diuine elicis ab homine iusto & grato esset meritorius de condigno. Nec etiam est relatio ad Deum: nam actus fidei secundum se refertur ad Deum, ut ad obiectum formale; & cum sit supernaturalis, refertur etiam ad Deum, ut ad finem & præmium, si sit in homine iusto. Quod si velis ad hoc requiri aliquam voluntatem, quæ ex affectu placendi Deo eliciatur actus fidei: hoc etiam poterit haberi sine tali modo intrinseco superaddito; nam eo ipso quod ad sit imperium charitatis, ex vi cuius sequatur actus fidei, iam hic actus verè erit elicis ex illo fine, & hæc relatio extrinseca sufficere, ut referatur ad Deum sine alio modo intrinseco superaddito, sicut refertur etiam actio externa imperata à charitate sine alio modo superaddito derivato in talem actionem. Et denique hæc relatio, vel hic modus, si necessarius esset non procederet immediate ab habitu charitatis, sed ab eius actu imperante actum fidei, quare ex hoc capite magis actus charitatis, ut dicebamus, deberet intrinsece perficere actum fidei, quam charitatis habitus habitum fidei. Non est ergo fundamentum ponendi charitatem ut formam intrinsecam fidei, & aliunde habitus alij non se se inuicem informant intrinsece, nec vnus habitus est in alio, ut in subiecto, sed ad summum se se inuicem adiuuant, vel remouendo difficultates, vel concurrente ad eundem actum ex diuersis modis, vel alio modo. Hoc autem magis constabit ex solutione vtriusque argumenti supra adducti pro sententia Richardi.

48
Ad primum ergo responderetur, in primis, si principium illud vniuersaliter verè esset potius fides deberet informare charitatem, quam è contrà: quia principium minus nobile solet recipi in nobiliori, ut illud informet: sic enim habitus acquisitus recipitur in potentia, vel in anima, & ipsa voluntas recipitur in anima, & omnes potentie recipiuntur in essentia, & non è contrà. Cum ergo charitas nobilior sit fide, hæc deberet informare charitatem, & non è contrà. Deinde principium illud vniuersaliter sumptum falsum est: nam causa secunda, non informat causam primam, neque è contrà, licet vtraque simul concurrat ad eundem effectum: neque sol informat causas inferiores, ut cum illis generet aliquem effectum, neque vir informat puerum, cum quo portat lapidem, & sic de alijs. Habitus autem naturalis informat animam, quia cum sit accidens nō potest esse

M m 4 per

per se, sed in aliquo subiecto: habitus etiam infusus propter eadem rationem informat animā; & quia eleuat illam ad effectum ad quem nullam habebat virtutem etiam partialem, quo casu conaturalē est, quod causa omnino de se improporcionata eleuetur, & proportionetur intrinsece per virtutem superiorem, vt diximus in superioribus. Ex quo non fit, quod omnes & singulæ concausæ debeant eleuari per aliquid sibi intrinsecū, cuius rationem reddidimus *supra disp. 9. sect. 3.* ostendētes, quomodo species naturales, sine eleuatione intrinseca sibi possint de facto concurrere ad actū fidei supernaturalē, ad quem anima ipsa supponitur iam intrinsece eleuata. In nostro autem casu res est facilius, quia habitus fidei de se est proportionatus ad actum, quem producit, neque ad hunc finem indiget eleuatione intrinseca. Denique supponitur falsū quod simul cum charitate producat aliquid actum, cum actus fidei non fiat immediatē ad charitatem habituali, licet aliquando pendeat ab actū charitatis imperante, quod imperium nec est necessarium, nec fortasse concurrat physice efficienter, sed solum determinando animam, quasi in genere causæ formalis.

49

Ad secundum facile respondetur, supponi falsum, quod voluntas in anima sit medio intellectu, si sermo sit de mediacione physica in ratione subiecti: vtrique enim potentia est immediatē in anima. Potest id concedi in alio sensu de ordine attentionis, sicut dici solet Verbum assumpsisse corpus media anima, & animam media mente, hoc est, ideo assumpsisse corpus, quia habebat animam, & ideo assumpsisse animam, quia habebat mentem, non tamen quod vnio Verbi immediatē fuerit solum cum anima, aut cum mente; vt cum S. Thoma 3. p. *quest. 6.* & communi Theologorum sententia explicui *disp. 15. de Incarnatione*. Sic etiam dici potest voluntatem esse in anima medio intellectu, hoc est, ideo esse voluntatem, quia est intellectus, ad cuius operationes consequuntur operationes voluntatis, in quo sensu licet admitteretur, charitatem etiam esse in anima media fide, nihil ad rem nostram consequeretur: id enim non pertinet ad ordinem physicum receptionis, sed adhuc vterque habitus recipitur æquē immediatē, physice loquendo, in eadem anima.

50

Charitas potest moraliter esse forma fidei ex duplici titulo.

Restat ergo, charitatem solum esse posse moraliter formam fidei, & hoc ex duplici titulo primò quatenus ex consortio charitatis actus fidei redditur meritorij vitæ æternæ, qui sine charitate nullum haberet valorem. Hoc autem non est proprium fidei, sed commune aliis omnibus virtutibus, quæ sine charitate nullius etiam pretij sunt. An verò ad hanc informationem exigatur virtualis relatio, an solum habitualis dignificatio proueniens ex gratia iustificante, non est huius loci, sed pertinet ad materiam de charitate, vel de gratia, vbi aliquid diximus de hoc puncto.

Quia ratione fides in peccatore dicitur mortua.

Secundus titulus est specialis in fide, ratione cuius in peccatore dicitur fides mortua, in iusto verò dicitur viuā: quia scilicet fides informis habet se ad modum radicis, seu arboris non ferentis fructum in quo statu reputatur quasi mortua. Ideo B. Iacobus *cap. 2.* dicit fidem sine operibus esse mortuam, seu (vt legit Augustinus *serm. 53. de tempore*) esse fidem otiosam: quem modum loquendi vsurpauit etiam Concilium Tridentinum, *sess. 6. cap. 7.* & in eo etiam sensu B. Iudas Aposto-

lus appellauit hæreticos, arbores autumnales his mortuas, quia nec fructū habent boni operis, nec radicem fidei, & ideo in vtroque mortui sunt.

Hinc infero, in eo sensu, quo fides dicitur mortua, & informis, posse etiam dici mortuam spem, & informem. Sic enim dicitur *spes viua 1. Petri 1.* quia nimirum ad spem etiam pertinet excitare ad opera meritoria, quod dum non prestat, mortua videtur & otiosa. Porro spem etiam manere in peccatore, eamque non auferri, nisi amissa fide, vel posita desperatione, communis est omnium Theologorum sensus, imo Medina *1. 2. quest. 6. 2. art. 4. dub. 1.* dixit, de fide Catholica esse, fidem, & spem non perdi per omne peccatum mortale. In hac tamen censura excessit, vt notauit Suarez *lib. 1. de gratia, cap. 5. num. 25.* quia nec in Scriptura, nec in Conciliis inuenitur ita expressa definitio de spe: ipse tamen Suarez putat, id esse omnino certum, ita vt contraria doctrina possit de errore notari, pro quo affert etiam P. Vazquez *1. 2. disp. 91. c. 4.* & Valentiam *rem. 1. disp. 5. quest. 7. puncto 2. §. 4. & c. & tom. 3. disp. 1. quest. 1. puncto 2. in fine*. Sed illi nec loquuntur de habitu, nec illam censuram ferunt, imò Vazquez expresse significat, nullam censuram mereri, & Granado *infra controuers. 2. de spe tract. 2. disp. 3. num. 2.* dicit, quoad habitum non esse rem certā, sed solum esse communem sententiam Theologorum cum S. Thoma. Ego quidem certum omnino existimo, spem quoad actum manere in peccatore, cum à Tridentino *sess. 6. cap. 6.* actus spei numeretur inter dispositiones remotas ad iustificationem, & *sess. 1. 4. cap. 4.* attritionem, quæ cum Sacramento disponit ad iustificationem, dicit concipi debere, cum actū spei, certum est autem attritionem elici posse a peccatore, dum adhuc est in statu peccati, & prius tempore, quam iustificetur. Quoad habitum verò censeo, eam esse communem sententiam Theologorum bene fundatam, quia omnes rationes congruentiæ, vt remaneat habitus fidei, procedunt, vt remaneat etiam habitus spei in peccatore fideli non desperante: cum etiam in eo statu exerceat actus spei, & ij necessarij sint, vt conuertatur, & vt se ad gratiam iustificationis disponat; congruum ergo fuit, vt naufragio facto circa gratiam, & alia dona, remaneret ei spes, ne in victimam precipitum rueret. Manet itaque spes, sed mortua, & informis, quæ in homine iusto dicitur spes formata, & viuā propter easdem rationes, propter quas fides appellatur viuā, vel mortua, formata, vel informis.

Circa hanc tamen diuisionem fidei in formatam, & informem dubitari solent aliqua, quæ dubia cum proportionē de habitu etiam spei fieri possunt. Primò ergo dubitatur, an idem sit habitus fidei formata, qui antea erat informis in peccatore. In hoc puncto olim fuit magna sententiarum diuersitas, quarum aliquas referunt S. Thomas *hac quest. 4. art. 4.* & S. Bonauentura *in 3. disp. 23.* Aliqui enim dicebant esse diuersos habitus fidei in sua enititate, quorum alter erat in peccatore, & peribat adueniente altero simul cum gratia: & contra hic recedebat cum gratia, succedente altero fidei informis. Alij dicebant, vtrumque illum habitum fidei manere in homine iusto, in peccatore autem manere solum habitum fidei informis. Rursus ex his alijs dicebant, fidem informem manere in homine iusto informem

mem, qualis in se erat; manere tamen simul cum illa alia fide formata. Alij dicebant, manere quidem in homine iusto fidem informem, seu quæ fuerat informis; non tamen iam informem, sed formatam ab illa alia fide formatam, quæ aduenit cum gratia. Orta fortasse fuit rota hæc opinio- num varietas ex eo, quod fidem viuam, & mortuam, non minùs differe putabant, quàm hominem viuum, & mortuum, quos non solum numero, sed specie, & genere differe videbant: cum tamen, vt diximus, fides viuam, & mortuam non ita debeant comparari, sed sicut corpus viuum, & postea mortuum, quod non est duplex corpus, sed vnum, & idem etiam numero, quod informatum anima dicitur viuum, & carens anima dicitur mortuum.

53 Concors ergo iam Theologorum sententia docet, eandem numero fidem, quæ antea erat informis propter carentiam gratiæ, postea per gratiæ aduentum, & præsentiam dici formam abque varietate tenente se ex parte ipsius fidei. Ita omnes iam docent cum S. Thoma, quos referunt, & sequuntur Suarez hic *disput. 7. sect. 3. num. 6.* Coninch *disput. 16. dub. 4. num. 44.* Hurtado *disput. 54.* Malderus *quest. 4. art. 4.* qui addit, hæreticum iam esse dicere, fidem formatam, & informem esse habitus specie diuersos; temerarium verò dicere, quod differant numero: à qua tamen censura videtur eam sententiam Hurtado §. 2. liberare: quia Tridentinum solum definit, manere veram fidem in peccatore, nec semper quolibet peccato mortali fidem amitti: quæ verificari possent in rigore, manente semper aliquo fidei infusæ habitu in peccatore, licet non esset idem omnino, qui antea fuerat: sicut non dicitur perdere situm sedendi, qui sedens gestatur, licet reuera sessio in veriori sententia non distinguatur à talibus corporis vicationibus taliter correspondentibus vicationi sedis, quæ motu ipso successiuo variantur: dicitur tamen manere sessio propter successionem non interruptam vicationum cum simili correspondentia.

54 Cæterum, licet hoc non sit expressè definitum, consonat tamen modo loquendi Tridentini dicentis, fidem non amitti, fidem manere, quæ propriè magis, & rigorosè verificantur, si eadem fides, quæ antea erat remaneat. Ad quod etiam affert solent parabolæ, & similitudines, quibus scriptura, & Patres hoc solent significare. Nam fides sine charitate assimilatur lampadi sine oleo, qualem fatuæ virgines habebant, quam eandem lampadem, vt reuiuisceret oleo addito ornare parabant, non aliam lampadem, sed eandem. Sic etiam Hieronymus tom. 4. in cap. 26. *Isaia sub initium comparat bona opera, seu charitatem muro, fidem autem murali: & ponitur, inquit, in ea murus & antemurale: murus bonorum operum, & antemurale recta fidei, vt duplici septa sit munimento, non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides operibus confirmetur.* Vbi vides ipsam eandem fidem, quæ sine operibus non sufficit, debere bonis operibus confirmari: neque enim posito muro antemurale mutatur, sed idem omnino perseverat. Ita etiam loquitur Bernardus serm. 24. in cantica: *mors fidei, inquit, est separatio charitatis: credis in Christum? fac Christi opera, vt viuas fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio, non incuruet terrenum opus, quem fides caelestium erigit.* Eadem ergo fides est, quæ abscedente charitate moritur, & redeunte

uiuificatur, & animatur. In quo etiam sensu Beda in cap. 2. *Iacobi* dixi, fidem mortuam per opera charitatis reuiuiscere, & animari. Cerrum autem est non posse reuiuiscere, & resurgere, nisi illud idem, quod ceciderat, & mortuum fuerat.

Ratio huius assertionis est clara: quia eadem fides, quæ informis est, cum sufficiat ad assensum supernaturalem de rebus reuelatis propter diuinam auctoritatem, sufficit adueniente charitate ad eadem obiecta credenda; qui assensus in homine iam iusto gratus erit Deo, & meritorius de condigno: vt quid ergo alius habitus fidei addendus est? Adde, non esse credibile, quod peccante homine, & ablato simul cum gratia habitu fidei, decur tunc ei alter fidei habitus nouus, qui certè esset donum Dei supernaturale datum de nouo homini absq; vlla eius dispositione, imò cum indispositione & demerito actuali, ob quod dignus esset expoliari donis omnibus, non quidē noua accipere. Deniq; confirmari potest ex communi S. Thomæ & aliorum doctrina, quæ suprà approbauimus, quod habitus fidei, & alij infusi sint ex natura sua passionibus gratiæ habitualis, quo posito, nō facile apparet, qualis esset ille habitus fidei informis, qui ex natura sua esset informis, & nō posset viuificari, & formari per gratiā, & charitatē, imò repugnet ex natura sua cum charitate: quomodo enim esset passio gratiæ illa, quæ ex sua natura nō posset cum gratia, & charitate consistere? Vnde rursus apparet aliud absurdum: quia hæc fides habitualis manet in peccatore, vt suprà vidimus, ad hoc vt connaturalis disponatur ad conuersionem, & iustificationem per actus fidei ab habitu permanenti elicitos. Tunc autem potissimum fides necessaria est, quando fit contritio perfecta, quæ est vltima dispositio ad gratiam: peto ergo quis habitus fidei eo instanti eliciat actum fidei, qui pro priori naturæ præcedat contritionem. Habitus enim fidei, qui datur cum gratia, non potest concurrere, cum pro eo signo nondum intelligatur posita contritio, quæ disponit ad gratiam: debet ergo concurrere habitus fidei præcedens: ergo ille habitus adhuc est eo instanti reali simul tempore cum gratia: poterit ergo similiter stare cum eadem gratia toto tempore sequenti: si enim potest illo instanti pro signo posteriori formari, & viuificari à gratia, non repugnat illi, quod sit habitus fidei formata, & viuax. Dicere autem, quod nec ille habitus præcedens concurrat ad illum actum fidei, sed fiat per auxilium actuale; difficile apparet, cum pro eo priori nondum posita sit contritio, vel gratia, à qua expulsus fuerit ille habitus præcedens. Scio, posse aliquem obtinere contendere, actum fidei non elici ab habitu, sed ab auxilio; quoties ex eo actu potest excitari homo ad contritionem, quæ disponatur proximè ad iustificationem, quia conseruatio habitus fidei informis pendet à negatione habitus gratiæ, & fidei formatae, sicut *disput. 6. de Incarnatione sect. 3.* significauimus, quoties homo potest peccare mortaliter contra præceptum graue, non fieri ab habitu charitatis, sed ab auxilio actuali, quo vult seruare præceptum, quia conseruatio charitatis pro eo instanti pendet ab obseruatione præcepti, atque ideo prior debet esse obseruatio præcepti, quàm conseruatio gratiæ & charitatis. Cæterum difficile est extēdere casum illum, in quo virget necessitas quædam specialis ad omnes casus, quibus homo disponitur ad iustificationem per actus fidei, cuius habitus

habitus ad hoc potissimum relictus est in peccatore contra exigentiam habituum, ordinis supernaturalis, ut vidimus, ut conaturalius possit se disponere ad iustificationem, & ad gratiam recuperandam: præsertim cum nulla sit ratio ponendi, aut fingendi talem habitum fidei, qui per suam naturam intrinsecam sit fides informis, & mortua.

57 Si autem dicas cum aliis supra adductis, habitum fidei informis non expelli per gratiam aduenientem, sed remanere simul cum habitu fidei formatæ: petam in primis, an maneat otiosus, an verò operetur? Si maneat otiosus, frustra manet, & deberet expelli, sicut ob eandem rationem expellitur in patria, quia ibi esset otiosus, & sicut expellitur etiam ab infideli, quia in eo statu infidelitatis maneret otiosus. Deinde difficile est, quod non operetur circa suum obiectum materiale, & formale sufficienter propositum, cum habitus sit causa necessaria sui actus, quantum est de se, & voluntas non imperet magis hunc assensum, quam illum. Si autem operatur, iam actus ille erit meritorius, cum sit supernaturalis, & honestus, & ab homine grato: erit ergo formatus, & viuus. Et quidem saltem de potentia absoluta non videtur repugnare, quod Deus concurrat etiam tunc cum illo habitu, quo casu sequerentur eadem inconuenientia, & argueretur, quod actus ille de se non esset fides mortua, cum esset meritorius de condigno, si existeret.

58 Dices, fides actualis mortua non potest postea adueniente gratia reuiuiscere; ergo nec fides habitualis mortua poterit reuiuiscere, ut eadem fiat fides viua. Respondeo retorquendo argumentum; quia si actus fidei peccatoris, quod est opus mortuum, perseveret idem adueniente gratia, fiet opus & meritum viuum ex aduentu gratiæ: ergo habitus fidei mortuæ perseverans adueniente gratia, fiet fides viua. Ratio ergo differentia est clara: quia actus fidei præteritus factus à peccatore, non permanet, & ideo non viuificatur, nec informatur à gratia postea adueniente: habitus verò permanet adhuc, & ideo informari potest à gratia, & viuificari.

59 Dices iterum: iustificatio habet de se vim producendi habitum fidei, ut constat, quando homo infidelis conuertitur & viuificatur in baptismo: ergo quando iustificatur etiam peccator fidelis per iustificationem producit aliquis habitus fidei, non præcedens qui iam erat; ergo alius habitus nouus fidei formatæ & viua. Respondetur negando consequentiam: quia ut notauit bene Malderus loco citato, iustificatio assimilatur pluuiæ, quæ si solum inuenit semen in terra, facit germinare herbam: si verò inueniat iam herbæ germen, illud promouet & auget, nec minus potens est in vno, quam in altero casu; ita iustificatio, si non inuenit fidei habitum, facit gratiam illum germinare: si verò illum iam inuenit, facit, quod augeatur, & crescat.

60 Hinc iam expediri facillè possunt dubia alia, quæ de hac fide informi fieri solent. Dubitari enim solet secundò, an fides informis sit virtus simpliciter: de hoc tamen iam diximus supra disp. præcedenti, sect. 2. Dubitatur tertio an sit donum Dei, & fundamentum iustitiæ. Certum est esse donum Dei, nondum quidem inhabitantis, sed disponentis, ut cum S. Thoma infra q. 6. art. 2. notat Suarez hic disp. 7. sect. 3. num. 6. & constat ex Trident. sess. 6. c. 6. diuinæ gratiæ attribuen-

te, quod peccator incipiat etiam in statu peccati disponere se per fidem ad remissionem peccatorum obtinendam. Certum etiam est, fidem illam esse fundamentum iustitiæ, non quidem fundamentum fundans in actu secundo, ut ita dicam; sed in actu primo: sicut fundamentum domus, antequam surgat ædificium, & construat domus, non fundat domum in actu secundo, cum nondum sit domus; sed fundat solum in actu primo; sic fides informis non fundat iustitiam in actu secundo, cum nondum sit iustitia, sed ponit fundamentum in actu primo, prout condistinguitur à re fundata: in quibus non potest esse difficultas.

SECTIO IV.

De incremento, & augmento habitus fidei.

61 SUpponendum est, ut omnino certum, fidem posse augmentum recipere, nec esse in omnibus fidelibus æqualem fidem, ut colligitur ex cap. 17. Lucæ in illis verbis: *Domine adauge nobis fidem*: & ex Paulo ad Corinth. 12. *crecentis fides vestra*; & ex oratione ecclesiæ, quæ petimus *fidei, spei, & charitatis augmentum*: & ex Tridentino sess. 6. cap. 6. docente, in iustificatione recipi fidem, spem, & charitatem, quam iustificationem præmiserat fieri in singulis secundum diuersam mensuram, & secundum propriam cuiusque dispositionem: & clariùs cap. 10. loquens de iustitiæ incremento dicit: *Hoc verò infinitum incrementum petit sancta Ecclesia cum erat; da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum*. Nec obstat Chrysostomus homil. 9. in epist. 1. ad Corinth. dicens: *In fide parui non esse oportet: quoniam una est fides*: in vita autem virtute non omnes eosdem esse requirunt; si quidem fides altera non est altera maior, sed eadem in omnibus, qui vere credunt: in vita autem hos quidem magis studiosos, illos prigiore. Hoc enim intelligi debet de fide ex parte obiecti crediti, nam omnes idem omnino saltem confusè credere debent, cum tamen non omnes exerceant actus aliarum virtutum: sed alij misericordiam, alij temperantiam, alij alias virtutes, & quidem non omnes in eisdem materiis exerceant.

Potest autem hæc fidei inæqualitas triplex considerari. Prima circa obiectum materiale, quæ potest appellari in extensione. Nam licet omnes fideles debeant, ut diximus omnia fidei obiecta credere saltem in confuso, dum fidem Catholicam amplectuntur, & credunt quicquid Ecclesia Catholica credit: aliqui tamen plura explicitè credunt, quàm alij, in quo sensu dixit Hieronym. in cap. 1. Epist. ad Titum, quod in omnibus fidelibus pro *varietate mentium fides communis esse non poterat*, & in eodem sensu fides nostra maior est fide antiquorum Patrum, quia ad plura obiecta se extendit, quæ illis nondum reuelata fuerant. Secunda inæqualitas, quæ communiter ab omnibus conceditur, est penes intentionem: nam sicut in aliis qualitatibus, calore, frigore, albedine, nigredine, lumine, impulsu, &c. conceditur intentio, quæ in veriori sententia sit per additionem gradus ad gradum, siue illi gradus sint homogenei, siue indiuidualiter heterogenei: sic in habitibus, & actibus intellectus, & voluntatis, &

Iustificatio
assimilatur
pluuiæ.

An fides in-
formis sit vir-
tus simplici-
ter.

An sit donum
Dei, & fun-
damentum
iustitiæ.